

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.



1770.

1. Chladenius, Emeritus Martinus: Ord. juris d. d. decanus: lectori benivolentia solutionem (et negotiationem in aeq. Johanni Christiano Franckii iur. tel.)
2. Ebert, Joannes Jacobus: Geometriae nascuntur
3. Franckius, Joannes Christianus: de jurisprudentia Tiborii Claudii imperatoris commentatio.
4. Heun, Zisovius Woldemar: de barometris itinerariis  
et aliquot altitudinibus barometris exploratis  
4. ~~Heun~~ Gyller
5. Hommelius, Christianus Gollid: de personarum quae sectioni caesariensis intersunt numero et qualitate
6. Kluegel, Emeritus Gouffr. Christianus: De indictione sexagenarum tributariorum ceducarum. Von dem Aufg. geben der ungleichbaren Steuer-Schuelte.
7. Kluegel, Emeritus Gouffr. Christianus: De cessione sive in iuramento cambiorum.
8. Rinkardus, Joannes Carolus Gebhardus: De obsequio filii in fundo ex pacto et provisione hanc officii

J. Ritter, Joannes Daniel: De foro antiquo Goltornum  
regni Hispaniae hodie Faero Fuzgo.

1776.

1. Hommelius, Christianus Gollit: De juribus ecclesiae  
creditricis singularibus in summo usurario
2. Hommelius, Christianus Gollit: De causis pueram facti  
ordinariam occludentibus.
- 2<sup>a</sup>. Hommelius, Christianus Gollit: De capite demeritorum  
expensis criminatis
3. Kluegel, Senatus Gollit: De loco rectoribus sine  
onibus publicis rebus et personibus in con-  
cursum creditum obtinendi.
4. Krause, Augustus Hegemann: De damnis ex vicina  
infiriorum altitudine metuentis
5. Krausius, Georgius Fidericus: De pignoris et hypothecae  
cis
6. Pauli, Martinus Gollit: De divisionis pactorum sup-  
licium in simplicia et mixta origine auctoritateque  
praerati

7. Titius, Thomas Venit: De damnis ex vicinia ecclesiarum  
alibudice metuentis

1772. 1<sup>a</sup> Hommel - Jurisch [imms Titelblatt vorhanden]

1. Hommelius, Christianus Colled: De clerico rerum paro-  
chialium locatore et laico conductore

2. Kuegel, Ernestus Gottfr. Christianus: Num clericorum  
testimonium fide ipsorum nunquam sine pariter parenti  
necessitate in negotiis judicialibus sit validum?

3. Schrauderus, Ernestus Gottfridus Christianus: De celebratione  
sabbati tresque dominicae inter veteres recentioresque

4. Wisandius, Georg. Theophanus: Ad Novell. 107. Cap. 1.  
observata

1773 -

1. Eklundus, Ernestus Martinus: Ord. jur. dei. . . . .  
nus: Lectori benevole. . . . . (ad reputationem  
Gullicus Wernsdorffii inserta)

2. Eklundus, Ernestus Martinus: Ord. jur. dei. . . . .  
nus: Lectori benevole (ad reputationem  
Johanni Aentheri inserta)

1773.

3. Fischer, Fredericus Augustus : Dissertationis juridicae exponens  
quem ad modum in libris succedatur
4. Hommelius, Christianus Gottlieb : De clerico rerum et operum  
suum conductore
5. Kraus, Georgius Fredericus : Ord. juris d. r. . . decanus  
lectori benemerito (ad dissertationem Frederici Gottlieb  
Pfefferkornii inserta)
6. Wernsdorffius, Ernestus Fredericus : De simulacro columbae  
in locis sacris antiquitus recepto
7. Wernsdorffius, Gottlieb : De remedio provocatorio ea l.  
si contendant in processu executionis
8. Wiersandrus, Georgius Heptemus : De pacto remissorio
9. Wiersandrus, Georgius Heptemus : De re Germanorum

1774 *Juridici*


- ~~10.~~ Hommelius, Christianus Gottlieb : De delictis molaribus  
1.  
eorumque poenis
2. Mullerus, Carolus Fredericus : De libertate academica



9812

No: 907.  
8  
1770 7 /

DE  
CESSIONE  
SIVE  
INDOSSAMENTO CAMBIORVM



PRAESIDE  
D. ERNESTO GOTTFR. CHRISTIANO  
K L V G E L  
IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE XXXI. DECEMBR. MDCCCLXX.

PVBlice DISPVTABIT

AVCTOR

M. CHRISTIANVS SALOMO ZIEGERVS  
DRÖYSIGENSIS MISNICVS



WITTENBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.



82

CRISTIONE

1687

INDOSSAMENTO CANTONUM

—————

TRASSIDE

IN PASTO GOTTES CHRISTIANO

1687

IN PASTO GOTTES CHRISTIANO  
WITTEB. ASSISORE

DIE XXXI DECEMBER 1687

WITTEB. ASSISORE

1687

M. CHRISTIANVS SALOM. ZIEGLERVS

WITTEB. ASSISORE

—————

WITTEB. ASSISORE

ET OFFICINA GEDDESIA





DE  
CESSIONE SIVE INDOSSAMENTO  
CAMBIORVM.

CAP. I.

DE CESSIONE CAMBIORVM IN GENERE.

§. I.



Cambiorum vsus ampliffimus esse, et non rei *utilitas*  
publicae solum, sed praeprius quoque com- *cambiorum.*  
merciis admodum commodum, nemo forte du-  
bitabit. Hinc constat etiam, quousque fere  
patet orbis, cambia recepta atque approbata esse. Ipsum  
ius Pontificium, quod alias vsuras damnat, camptores ta-  
men tolerat, ceu innuit Bulla Pii V. Pontificis anno 1570.

A

promul-



promulgata de cambiis, his verbis: Cambiorum usus, quem necessitas publicaue utilitas induxit etc. Cui pontificis decreto eo lubentius subscribimus, quo certius est, sublato hoc solutionis compendio, ob rapinas et varia belli pericula commercia difficulter exerceri, imo ne pacis quidem tempore pecuniam ad quaecunque loca transmitti sine magno incommodo et ingenti nonnunquam propter varios casus periculo posse, peregrinantibus tandem adimi commodum, multis anteferendum cautionibus.

§. II.

*Inter species varias cambiorum est etiam indollarum.*

Diuisiones cambiorum, quas DD. multiplices esse docent, hic non sollicite excutiamus. Sufficiat ad propositum nostrum, vt, cambiorum genera praecipue duo esse, moneamus, nempe cambia, quae vere hoc merentur nomen, esse vel propria vel transfata. Haec a plerisque Doctoribus etiam localia nominantur, a Barthio in Hodeg. for. cap. IV, §. 4. aliena, et a Selchovio in Elem. Iur. Germ. §. 615. impropria, illa ab Engauio in Elementis Iur. Germ. L. III. §. 190 simplicia, nonnunquam quod ex quibusdam Ordinationibus Cambialibus docet Siegel in der Einleit. zum Wechs. Recht im Vorbericht §. 9. sicca, informia. Vtraque species tam transfatorum, quam propriorum, iterum diui-



diuiditur secundum Eisenhart. in Inst. Jur. Germ. L. III. Tit. XVII. §. 8. Heinecc. El. Iur. Camb. Cap. II. §. 7. et alios in indossata cambia siue cessa, et non cessa, vel, quod melius fieri credo, secundum Barthium alleg. loco in indossata et simplicia. Simplicia vel non cessa vocantur cambia, quae ab eo, qui primum ea accepit, in alium translata non sunt, et hanc ob rem dicuntur in Ord. Cambial. Lips. art. 4. adhuc in prima manu esse i. e. a primo creditore adhuc teneri. Indossata autem vel non simplicia dicuntur, quae a primo creditore vterius cessa sunt.

§. III.

Indossata igitur cambia ea sunt, quae creditor alii cessit. Quamuis autem verbum cessionis in legibus Romanis, in quibus saepissime occurrit, significatu vsurpetur vario, iam eam tamen, qua rei, iuris, vel actionis translatio dicitur, nostram facimus significationem. Indossamentum itaque est actus, quo ius exigendi pecuniam vi cambii debitam in alium transfertur, vt vult D. Hoeknerus in Diff. de litt. cambial. indossam. cap. I. §. 2. Aut est breuis creditoris seu cambii possessoris scriptura, qua potestas cambium exigendi in alium transfertur. Vix operae pretium esse videtur, vt disquiramus, ad quam contractuum classem refe-

*Quid sit  
indossamen-  
tum?*



rendum sit indoffamentum. Cum enim indoffamentum cambii species sit, et velut iteratum cambium, magna vero adhuc inter Doctores de ipso cambio sit contentio, cuiusnam contractui annumerandum sit, aliis pro consensuali, aliis pro litterali, aliis pro reali, aliis pro permutatione, aliis pro alio contractu innominato pronunciantibus, de quo vid. Barth. in Hodeg. cap. IV. §. 2. not. a. Eisenhart. all. loco §. 5. Siegel. all. cap. I. §. 1. seqq. Stryk de caut. contract. sect. III. de camb. cap. V. §. 7. ita de indoffamento quoque eo difficilius determinari poterit, qualis secundum Romana principia sit contractus, quo magis persuasi sumus, terminos iuris Romani inepte applicari et quasi torqueri ad negotia Romanis incognita, quale cambium esse neminem fugit. Cessio secundum ius Romanum ad donationem vel emtionem vel permutationem spectare videtur. Cum vero nec solum consensum, nec solum traditionem ad indoffamentum sufficere probabile sit, sed, scriptura ut accedat, pro substantiali quodam habeamus, cum cessione Romanorum non in omnibus conueniet, potius vel nominandum erit literalis contractus, vel, quod magis omnino placet, peculiarem quendam esse contractum, aut ab aliis discernendum pactum, adfirmandum est.

§. IV.



## §. IV.

Indossamentum autem dicitur ab eo, quod cambio- Qualis sit  
appellatio  
indossaro-  
rum cambi-  
orum.  
rum cessiones in altera eorum pagina siue dorso quasi  
inscribuntur. Indorsare enim vel indossare teste du Fres-  
ne in Gloss. est chartae dorsum seu tergum vel cuiuscun-  
que scripti partem auersam aut exteriorem inscribere. vid.  
Stryk de caut. contract. Sect. III. de camb. c. V. §. 23. Müller.  
ad Struv. p. 1754. in fin. et Heydiger. Anleitung zum Wech-  
selrechte p. 36. Et multis indossamentum vocabulo Gal-  
lico endossement, a Zipfelio in tractatu vom Wechselrechte  
passim indousche, Induossament, et Latine nonnunquam  
inductio dicitur. Deinde cessio cambii vsu linguae Itali-  
cae exprimitur per verbum Giro, quod significat Gyrum,  
einen Kreis oder Umkreis et giriren, einen Umkreis machen.  
Siegel. alleg. c. I. §. 13. Ex his igitur negotii ipsius nominibus  
cambia jam nobis indossirte, cedirte, girirte, trassirte Wech-  
sel appellantur. Non igitur differunt cambia girata et in-  
dossata, quin potius in nonnullis Ordin. Cambial. vsus ho-  
rum verborum promiscuus est, veluti in Brunsvicensi art. 42.  
verbis: Weil auch das Giriren der Wechselbriefe bisher er-  
laubt gewesen, so sollen zwar dergleichen girirte oder indossir-  
te Wechselbriefe, ic et, paucis interiectis: im übrigen aber



allemal darinnen der Giro mit Hinzufegung des Ortes *et*  
 vöflig exprimiret werden. Sed quidam Scriptores, vt Mül-  
 ler ad Struv. Exerc. 25. §. 43. not. sub. d. Berg. in Supple-  
 ment. ad Elect. process. execut. ad th. 50. pos. 26. p. 10.  
 Heinecc. El. Iur. Camb. cap. II. §. 10. et Stryk. de caut.  
 contract. Sect. III. cap. V. Wenn die Indossamente vielfäl-  
 tig multipliciret und fortgeschrieben werden, id appellare  
 solent, giriren, verbo Giro alium significatum tribuunt,  
 ita, vt saepius indossata siue cessa cambia girata appel-  
 lent, cui opinioni fauet quoque quodammodo Barthius all.  
 cap. IV. §. 5. not. b. Giro et Girirung ab indossamento et  
 Indossirung, vt maius et minus differunt. Giro enim,  
 accuratius loquendo, vocatur tunc, si aliquoties cessiona-  
 riorum personae mutatae, et de vna in alteram transcri-  
 pta sint, quia tunc per circulum quasi et gyrum vertitur.  
 Indossamentum vero si ab vno saltem in alium transporta-  
 tae literae sunt. Cum vero haec distinctio legibus camb-  
 ialibus non respondeat, siquidem, cui non satisfacit Ord.  
 Camb. Brunsv. anto citata, illum aliae quoque docebunt,  
 quod girata cambia sint cessa, licet cessio prima vice facta  
 fuerit, veluti in antiquiori Norimbergensi d. a. 1654. ver-  
 ba, quae citat Zipfel. cit. p. 168. ita concepta sunt: sollen  
 alle Wechselbriefe mehr nicht, als einmal, giriret werden,  
 et





et in Francof. ad Moenum d. a. 1739. §. 10. verba: die girten und transportirten oder indossirten Wechselbriefe sollen nicht ferner verboten seyn, giriren et indossiren absque dubio pro Synonymis possumus accipere.

## §. V.

Videndum jam est, an illa cambiorum cessio seu indossatio permitta sit? Certum quidem est, cambiorum cessionem multis in locis ob ortam inde confusionem olim prohibitam fuisse, quod docent cum diversorum urbium Ordinationes Cambiales, tum, quae apud multos scriptores inveniuntur. Ita enim in antiqua Ord. Camb. Francofurtensi d. a. 1620. teste Heydigero in seinen gründlichen Verstand zum Wechselrechte p. 130. prohibetur cambiorum indossatio. Quam prohibitionem cessionis inuenies etiam in der Bogner Marktordn. d. a. 1635. §. 8. Daß ins fünftige in keinerley Weise girirte und überwiesene Wechselbriefe mögen acceptiret werden, die Confusionen und Unordnung, so sich dadurch begeben möchten, zu verhüten. Ist derowegen verordnet, daß kein eingeschriebener Handelsmann schuldig seyn wird, dieselbe zu bezahlen, wie sie denn auch nicht sollen können eingefordert, intimiret, noch auf diese Briefe Protestationen angegeben, vielweniger solche Protestationen erhoben und

*An cessio  
cambii sit  
permitta?*



und versandt werden, sondern bleiben dergleichen Briefe gänzlich verboten, wie mans denn auch in andern Märkten also pflegt zu halten. Hæc postrema verba satis declarant, tum temporis indossamenta multis in locis fuisse prohibita. Alibi non quidem omni indossamento vis sua adempta, at tamen nimia eorum multiplicatio restricta est, veluti Brunsv. Ord. Camb. Art. XLII. quartum tantum, ulterius autem indossare non permittit. Inter scriptores, qui indossamenta damnant, vel primarius est Heydiger iam cit. p. 130. Neque tamen is, et alii, qui indossamentis non favent, auctores, hoc sine causa faciunt. Etenim ex indossamentis, si acceptans non solvat, possunt innumeræ oriri lites, cum quilibet indossatarius agere debeat contra eum, qui ei cambium cessit, quod si aliquoties factum sit, tot efficere debet lites, quot sunt cessiones. Cumque multum temporis in his litibus peragendis consumi possit, præsertim, si domicilia indossantium admodum inter se distant, variique casus interea possint accidere, qui difficile reddunt, ut, quæ debentur, consequamur, non inepte aliquod damnum commerciis, fideique in his necessariae, metuitur. Quales fere rationes in Ordin. Brunsvic. loco iam citato proferuntur. Quamvis autem eiusmodi incommoda adsint, si sæpius cambium sit indossatum



tum, insignia tamen emolumenta, quae indossamenti permissionem sequuntur, ista omnino superant, nec omnis indossamentorum vsus sine commerciorum damno colli poterit. Etenim per indossatum cambium solui debitum ab ignoto quoque potest, si modo is, cui solutio hunc in modum fit, noscat trassatum, vel eum, qui cambium subscripsit. Quod si fieri nequeat, ipsius debitoris cambium creditori forsân non sufficeret, iste igitur paratam soluere pecuniam deberet. Quae negotiatio cum multis cum incommodis coniuncta sit inprimis, si creditor in remotissima quadam degit regione, id ipsum, quo minus amplificentur commercia, impedit. Inde multae leges cambiales hanc cessionem omnino permittunt. Francofurti ad Moenum animaduenterunt, quale commodum insit indossamenti, hinc in recentiori Ord. Camb. d. a. 1661. §. II. dispositum est: Die girirte und transportirte oder indossirte Wechselbriefe sollen aus gewissen Ursachen nicht ferner verboten, sondern angenommen werden, quibus verbis specialia edicta, quae intuitu prohibitionis indossatarum litterarum cambialium promulgata erant, iterum abrogata sunt. Ita quoque multarum aliarum ciuitatum, vt ciuitatis Norimbergensis, Augustae Vindelico- rum, etc. Ordinationes Cambiales huic cessioni favent.

B

In-



Inprimis autem in Saxonia nullum est dubium, quin cambia, et saepius quidem, cedi possint, cum Ord. Camb. Lips. §. II. ita disponat: Obwohl die vielfältige Circulation der Wechselbriefe in etlichen ausländischen Städten, sonderlich zu Bogen gänglich verboten, dieweil aber selbige sowohl hier als anderer Orten in starcken Brauch ist, so läßt man es dabey verbleiben. Tandem monendum est, quod indossatio nonnunquam necessaria sit, vbi cambii praesentatio non fit ab eo, qui in ipso instrumento nominatus est, nec solum verbum Ordre in cambio sufficiat, vt possessor cambii solutionem postulare possit. Ita vult Ord. Camb. Brem. §. 14. Wechselbriefe so an Ordre zu bezahlen lauten, sollen behrbrig indossiret werden, quod in aliis quoque Ord. Camb. praescriptum est.

## §. VI.

*Num solis mercatoribus, an etiam aliis personis cambia cedi possint, et an ab omnibus cessio fieri queat?*

Non dubitandum est, quin cambia cedi aliis etiam personis possint, qui in commerciorum usu non constituti sunt, neque mercatorum matriculae inscripti, modo tales sint, quibus valide solui potest, vel quibuscum iure contractus fit. Nam si v. g. minori cederetur cambium, et ille cambium iusto tempore non praesentaret, vel omitteret protestationem, aut alia necessaria, damnum sine dubio sentiret indossans, qui culpam commisit. Qui igitur vali-



valide contrahit, illi valide quoque cedetur cambium. Indossatarius enim praesentantis iura habet. Hinc, cum praesentans, licet, si quid culpa sua accidit, damnum patiatur, non tamen in regula rigori cambiali subfit, illis quoque, qui quibusdam in locis, muneris, quod gerunt, causa, vel alia ex ratione, cambio se obligare nequeunt, cambium cedi nihilominus poterit. Aliter autem se res habet, si quaestio sit, quis indossare possit. Ad eam si respondendum sit, certum quidem est, non solis mercatoribus, sed aliis quoque licitum esse personis, cambia indossare. Nam quibus personis permissum est cambiorum negotia celebrare, iis non prohibitum, ea indossare et in alios transferre. Sed hoc propter dispositionem diversarum Ord. Camb. aliarumque legum limitationi subiacet. Hic enim omnino distinguendum est inter personas, quae mercatores sunt, et inter personas, quae negotiationi operam non dant. Ii, qui mercatores sunt, et negotia ad mercaturam spectantia gerunt, plerumque sine discrimine generis atque annorum contractum cambiale celebrare, nec minus cambia in alios transferre atque indossare possunt. Itaque foeminae, quae mercaturam exercent, possunt ratione eorum negotiorum sese cambialiter obligare, et quocunque modo hoc negotium cambiale, ergo per  
B 2 modum



modum indoffamenti quoque tractare. Vid. Carpzov. P. II. const. XV. def. 16. n. 5. 6. Mev. ad Ius Lubec. P. III. T. 8. Heinec. Element. Iur. Camb. c. V. §. 6. et quoad iura Saxonica App. O. P. R. §. II. Sed qui mercatores non sunt, se non indistincte cambialiter obligare, itaque nec cambia indoffare possunt. Leges enim cambiales plerumque ex his quasdam personas excipiunt. Ita in Saxonia nec foeminae, nisi sint mercatrices, nec clerici, nec rustici, si agri culturam tantum tractant, et alia negotia non gerunt, nec filii familias, nisi ratione peculiorum castrensiurn, quasi castrensiurn, atque aduentitiorum irregularium, vid. App. Ord. Sax. Proc. Rec. §. II. nec Studiosi Lipsienses atque Wittenbergenses, Mand. d. d. 29. Dec. 1718. O. P. R. sub no. XXV. adiectum, nec minores 25. annis Mand. d. d. 21. Apr. 1724. O. P. R. sub no. XXVI. adi. cambia dare possunt. Itaque ab his omnibus recensitis personis cambia indoffari atque cedi etiam non possunt, quia cambialem obligationem contrahere nequeunt. Nam rigor iuris cambii etiam contra eum exercetur, qui cambium cessit, et paritas rationis eundem producere debet effectum. Hinc statuendum est, neminem posse indoffare, qui cambio obligari nequit. Quare expressis quoque verbis sin alleg. Mand. d. a. 1724. indoffatio minoribus 25. annis interdicitur.

CAP.



## C A P. II.

*De Cambiorum indoffamenti diuisione  
arque eius forma.*

## §. I.

**P**raecedenti capite actum est de cessione et indoffamen-  
to in genere, nunc diuisiones atque formam eius ex-  
ponamus. Quod diuisionis indoffamenti cambiorum atti-  
net, facile apparet, cessionem cambii fieri posse, vel in  
ipso cambio, vel extra illud, nempe in peculiari instru-  
mento, v. c. si debitor creditori cedat aliquot nomina, at-  
que inter ea nonnulla cambialia. Posterior modus autem,  
solum quoad nomen, non proprie indoffamentum est, sed  
prior maxime nomen indoffamenti meretur. Sed quaeri-  
tur forte, an cessio in separata scheda fieri possit? Et pos-  
se omnino, ex nonnullis patet Ord. Camb. quae indossa-  
tionem vel aliam ad causam legitimationem solent coniun-  
gere. Vid. Ord. Lips. §. II. Ord. Vienn. Art. 35. Ord. Vra-  
tisl. Art. XI. §. I. Sed commodior omnino via indoffatio-  
nis est in ipsis cambialibus litteris. Deinde cessio cam-  
biorum diuiditur in primam et vltiorem. Haec est,  
quando cessiones multiplicantur, quod etiam, vti supra  
dictum,

*Indoffamen-  
tum vel ces-  
sio cambii  
in ipsis li-  
teris vel in  
separata  
schedula  
scribitur.  
Est vel pri-  
mum vel vlti-  
terius. Fit  
vel ante vel  
post termi-  
num solu-  
tionis  
cambii.*



dictum, giriret nominari solet. Indossamenta vltiora autem, nisi forsitan numerus, vt antea monitum, restrictus sit legibus, in regula eodem iure gaudent, ac prima. Ita iure nostro indossatario cuilibet contra proximum indossantem actio competit, qua sortem, vsuras, et damna petere potest. Vid. Ord. Camb. Lips. §. 19. Eadem fere inveniuntur in O. C. Boruss. Art. 20. O. C. Vefont. cap. 16. et alibi. Vbi autem numerus indossamentorum restrictus est, in iis cessionibus, quae numerum egrediuntur, nec acceptatio nec protestatio locum habet. vid. Ord. Camb. Brunsv. art. 42. Porro indossamentum vel ante terminum, quo pecunia in cambio expressa solui debet, vel post eum fit. Nonnunquam posterius prohibitum est. vid. Ord. Camb. Brunsv. modo cit.

§. II.

*Indossamen-  
rum est vel  
extensum  
vel blan-  
cum.*

Indossamentum autem vel plene extenditur, vel est indossamentum, blancum. Quod indossamentum plene extensum, ein ausgefüllt Indossament Bresl. W. D. Art. XVIII. §. 5. attinet, sub illo intelligitur id, quod indossantis et indossatarii nomen, nonnunquam tempus quoque et causam continet. Sed indossamentum blancum, non extensum, quod Italice in bianco vocatur, Germanice

weiß





weiß oder offen sec. Zipf c. l. p. 169. quod secundum Heydiger: in der Anleitung zum gründlichen Verstand des Wechselrechts p. 36. hoc modo fit: Daß nehmlich der Remittent auf den Rücken des Wechselbriefes vor einige Zeilen Spatium läßt, und seinen Namen sodann schreibet, zu dem Ende, damit derjenige, dem der Wechsel zugesandt wird, in das gelassene Spatium den Namen des Praesentanten einschreiben könne, vt breuius dicam, est: ubi in dorso cambii solum cedentis nomen, relicto quodam spatio, inscribitur: vid. Stryk. de caut. contract. sect. III. c. V. §. 23. in fine. Hanc autem ob causam, quia remittenti non semper constat, quis ille sit, cui committi possit exactio, is in hoc genere in dorso cambii spatium aliquod relinquit, cui inscribat praesentans, quis exigere cambium debeat, et praestat, secundum quosdam, hoc indossamentum inter mercatores eam vtilitatem, vt is, cui reuera ceditur, vltcrius possit cedere cambium sine nouo indossamento. Sed Zipf. c. l. p. 169. circa indossamentum in bianco vel blanco in weiß oder offen notandum esse docet, quod ille, qui per tale documentum in blanco a debitoris assignantis factore pecuniam acciperet, eam non pro se retinere, sed vt ad massam restituat, cogi queat, quia tale indossamentum non haberi possit pro cessione et assignatione, sed tantum ad apocham  
et



et quittantiam datum. Indossamenta vero in bianco, cum facilius in iisdem fraus committi possit, vbique fere prohibita esse legimus. Ord. Camb. Lips. §. II. O. C. Aug. cap. 9. §. 2. O. C. Brunsv. art. 43. et alibi vid. Siegel saepe cit. cap. I. §. 13. Sed oritur quaestio: An debitor cambium indossatum in bianco, vel si saltem non omnia requisita habeat indossamentum, soluere teneatur? Hoc negandum esset ex ea ratione, quod is, qui pecuniam exigit, titulum suum probare debeat, nec ex nuda cambialium litterarum detentione contra debitorem ad effectum solutionis agere possit, cum ante omnia legitimatio ad causam sit necessaria, quare cambium, in quo indossamentum non extensum, tuto neque acceptari neque solui posset, vid. Zipf. c. I. p. 427. At enim vero, quamuis haec recte dicantur, secundum ea, quae leges praescribunt pleraeque, transactus tamen hoc quoque casu retinere pecuniam et plane denegare solutionem nequit, sed tantum per depositionem, siue cautionem postulando, sibi prospiciet. O. C. Lips. et Brunsv. all. locc. Vratisl art. XI. Gedan. §. 27. et in aliis. An autem is ipse, cui in bianco cessum est cambium, indossamentum extendere potest? Et leges quidem prohibent indossamenta in bianco, et priuatorum conuentionem iuri publico derogare non posse iudicati iuris est: l. 38. ff. de

de pactis, attamen, cum in hoc casu nemini damnum inferatur, et extensio permittente et sciente cedente fieri videatur, a. l. 18. ff. mand. denique cum, vt cedens sua manu extensionem faciat, non expresse requiratur, et regulariter subscriptione agnita extensum diffiteri nequeat, non videtur aliquid ob stare, quo minus ipse indossatarius extendere possit indossamentum, neque, prouti recte putat Siegel. all. loco not. f. crimen falsi in eo committitur. Verum merito hanc sententiam limitamus, nisi prohibitio in legibus cambialibus adsit. Ita in Ord. Lipf. all. §. Hin- gegen der Geber des Wechselbriefes den Giro völlig zu compliren schuldig seyn, in Ord. Brunsv. all. und ist ein jedweder Ausgeber des Wechselbriefs schuldig, dasselbe Indossament völlig zu compliren, et similiter in aliis Ord. Camb. scriptum est. nec his verbis videntur leges alii, quam indossanti, permittere extensionem.

§. III.

Ceditur plerumque quidem omnis illa, quae in cambio continetur, summa, interdum tamen etiam ex parte tantum cessio fit, c. g. si cambium sit 1000. Nthlr. indossamentum autem ita fiat

Vor mich zahle der Herr Lucius  
600. Nthlr. an Herrn Titium,  
400. Nthlr. an Herrn Sempronium  
Cajus.

*Vel omnis, quae ex cambio debetur, pecunia, vel ipsius tantum pars ceditur.*

C

Et



Et haec indossandi species in regula non est prohibita, potius nonnunquam expressis permissa verbis, v. g. in O. C. Norimb. cap. IV, §. 13. et utilis absque dubio, ad faciliores reddendum solutiones et augendum commercia.

## §. IV.

*Indossamentum est vel mandati vel cessio- nis.*

Restat maxime laudata diuisio indossamenti. Est enim, vt explicat Selchow. El. Iur. Germ. §. 613. vel in procura, vel in giro, quorum prius mandati, posterius cessionis vim habet. Istaе duae species tam effectu, quam forma a se inuicem differunt. Effectu, quia illud, pro natura mandati, non vero hoc, reuocari potest, in hoc etiam, non in illo indossatarius cambii fit dominus. Forma, quod in hoc valutae fiat mentio, non vero in illo. Unde monet Zipf. cit. p. 169. his verbis: Das Indossament (zahlet vor mich) hat mehr Wirkung nicht, als, daß der Indossat ein Bevollmächtigter wird, und das auf solchen eingehobene Geld dem Indossanten auszahlen muß. Wenn aber diese Worte dabey stehen: (Dessen Werth bin ich von ihm vergnügt,) so macht es eine völlige Cession, und behält Indossat das Geld, consr. p. 134. 135. quam sententiam etiam fovet D. G. Gottf. Schaumburg. in der Einleitung zum Sächsischen Rechte P. III. sect. II. Exerc. V. §. 27. cum quibus consentiant alii complures, et multae quoque cambiales leges. Sed ista omnia applicari non possunt ad ea loca, in quibus non requiritur, vt in cambio valuta expressa sit, qualis permissio, etiamsi forte de indossamentis non directo agat, tamen de iisdem, cum in dubio eodem, quo cambium, iure fruatur indossamentum, accipienda

da

da erit. In istis igitur locis omne indossamentum pro in giro praesumendum erit, nisi verba perspicua, mandatum celebratum esse, indicent, quod recte animadvertit quoad Saxoniam, ubi expressio valutae per App. O. P. R. §. 15. in indossamento necessaria non est, Siegel. all. §. 14. n. \*.

## §. V.

Iam transeamus ad formam indossamenti. Cedi posse cambia separata schedula, iam supra monitum est, multo minus dubitari poterit, quia exactio peculiari scheda mandari queat. Vtrumque tamen, proprie loquendo non est indossamentum. Illud enim inscribitur eidem chartae, in qua cambium deprehenditur. Ad formam autem indossamenti non pertinet, ut, quamvis, quemadmodum supra dictum est, cessiones ab eo, quod tergo inscribuntur, indossamenti nomen acceperint, necessario quoque in tergo concipiantur. Si igitur contingat, ut non in tergo, sed in facie, ut ita loquar, cambii, vel in eadem pagina, in qua cambium ipsum legitur, fiat cessio, formam indossamenti neglectam dicere non possumus, neque in O. C. Lips. aliisque certi aliquid de hoc dispositum est. Fauet huic sententiae Schaumburg. in der Einleitung zum Sächsischen Recht im III. Theile, Sect. III. Exerc. V. §. 28. his verbis: Ueberhaupt muß das Indossament deutlich, entweder unter dem Wechsel, oder auf der andern Seite des Wechsels, und zwar völlig hingeschrieben seyn. Sed alia quaestio oritur, an soluendae quantitatatis omissio formam indossamenti vitiet, eaque quantitas Ziphris scribi possit, an verbis exprimenda sit, quemadmodum hoc fieri debet in iplis cambiis.

*In forma indossamenti, quaedam adeo necessaria non sunt.*



bis. Cum vero de debiti quantitate iamiam ex ipsis litteris cambialibus constet, animus cedentis, vt tota solvatur summa, quae in litteris istis scripta est, ex verbis: *Inhalts dieses zähle der Herr vor mich* colligi potest, et in dubio tota quantitas cambio expressa cessa censetur. Quapropter vt ista summa in indossamento iterum enumeretur, necessarium in regula non erit, multo minus nocebit, si inserta quidem sit, sed solis ziphris. Aliud est, si ex mente indossantis solutio pro parte fieri tantum debeat, de quo supra §. 3. videri potest. Hic enim per se patet, quod quantitates partium indicandas sint, et fides cambiorum, et securitas poscit, vt hae quantitates verbis, non characteribus, scribantur.

## §. VI.

*In primis vero expressa esse debent nomina contrahentium, nonnumquam tempus et locus.*

Haec igitur necessaria non sunt, bene tamen indossantis et indossatarii nomen. Hoc praecipunt pleraeque Ord. Camb. vt Lipf. §. 11. Brem. §. 14. rell. Sed non nomina solum, verum etiam, vt in ipsis cambiis, integra praenomina cessantis et cessionarii exprimi debent, neque sufficit, initiales tantum nominum litteras scriptas esse, e. g. *vor mich zähle der Herr an C. F. Cajum.*  
C. G. Titius.

quae omnino valde necessaria videtur cautio, quia alias multae et magnae difficultates inde oriri possunt. Nam saepe fit, vt diuersae personae idem nomen et praenomina gerant, iisdem litteris initialibus praedita. Itaque, nisi nomina et praenomina integra expressa sint, si cambia forte amittantur, illaque ab eo, qui eodem gaudet nomine, in-

venia-

veniantur, is, quamvis calumniose, ob rigorem tamen iuris cambialis sine exceptione cambium exigeret. Hanc integri nominis exprimendi necessitatem verbis istis, quae inveniuntur in O. C. Lipf. aliisque vöslig zu compliren, gebührend ausfüllen, inesse, non sine ratione concludimus. Verum tamen cum indossantis praenomen iam ex ipso cambio cognoscatur, non videtur tanta esse necessitas, vt illud iterum integrum exprimatur in indossamento, nisi hoc quoque leges pro forma praescribant. Satis ex dictis apparet, quod indossatio in incertam personam fieri nequeat, si v. g. quis scribat: vor mich an Zeigern, an Inhabern dieses. Etenim si nomen exprimendum est, solum verbum possessoris hoc supplere nequit. Taceo, eiusmodi indossamenta non absque summo praesentantis et trassati fieri periculo. Deinde disquiramus, an tempus, dies et annus, quo scriptum est, in indossamento sint exprimenda. Equidem non videtur temporis omissio damnum asferre, cum diei annoratio non sit de substantia actus, modo terminus solutionis fuerit expressus, et ita secundum Siegelium pronunciatum est a Scabinis Lipsiensibus. Einleitung zum Wechselrecht, P. I. c. I. §. 13. lit. g. Vix tamen credimus defendi posse eam sententiam, vbi Ordinationes Cambiales temporis adnotationem poseunt, quod factum est in Ord. Boruss. art. 26. Und soll der Geber solcher girirten Wechselbriefe den Giro, wie sichs gebühret, vöslig, auch mit Benennung des Dati, compliren, in Ord. Camb. Lipf. §. 11. Der Geber des Wechselbriefs soll den Giro, wie sichs gebühret, auch mit ausdrücklicher Benennung der Zeit, wenn derselbe geschrieben, zu compliren schuldig seyn, et in aliis. Multo minus necessarium videtur, vt locus, in quo indos-



samentum contractum est, adiiciatur, cum neque trassantis nec trassati interfit. Verum, cum forsitan hic quoque falsum aliquod committi possit, litibusque causa praebere, loci etiam secundum quasdam Ord. Camb. mentio fieri debet. O. C. Vratisl. Art. XVIII. §. 5.

§. VII.

*Expressio  
valutae non  
semper est  
necessaria.*

Restat vt videamus, an ad formam indossamenti confessio indossantis, sibi ratione cambii ab indossatario satisfactum esse, requiratur, quae confessio ab Italis per verbum Valuta, Germanice per ista: den Wechsel vergnügt, empfangen, exprimitur. Multae Ord. camb. volunt, vt, qui cambium dat, in eodem profiteatur, quomodo sibi satisfactum sit, vti hoc faciunt Ord. Camb. Paris. d. a. 1673. art. 1. Tit. V. et Ord. Camb. Boruss. art. 26. teste Zipf. p. 137. et aliae. Quae igitur de cambio ipso praescripta sunt, ea etiam vtiliter applicantur ad indossamenta, propterea, quod eadem obligatio est indossantis ac trassantis. Praeterea expressis verbis nonnullae leges hanc formam etiam in indossamentis postulant, v. g. O. C. Vratisl. loco iam all. et secundum O. C. Brem. §. 14. modus quoque exprimendus, quo satisfactum est indossanti, verbis: sondern der Giro mit Namen dessen, an wem solche zu bezahlen, welchergestalt die Valuta empfangen, auch auf welchem dato die Contrahenten sich verabredet, völlig ausgefüllet, und compliret werden. Sed sunt etiam multae Ord. Camb. quae valutae mentionem ne ad substantiam cambii quidem requirunt, vultu Ord. Brunsv. §. 28. Die Valuta mag in Wechselbriefen gedacht seyn oder nicht, muß die Zahlung erfolgen, et Ord. Camb.



Camb. Lipf. §. 3. und sollen dieselben, es mag der empfangenen Valuta, wie zwar an ihm selbst billig wäre, darinne gedacht seyn oder nicht, einen Weg wie den andern kräftig und gültig seyn. Quamuis igitur negandum non sit, dictam confessionem vtilitatem quandam, vti ipsa asserit Ord. Lipf. Camb. l. c. habere, inprimis hanc, secundum ea, quae passim traduntur a Doctoribus, vt indossans exceptionem nondum factae solutionis opponere nequeat, Zipf. p. 137. et 138. Stryk. de caut. contract. Sect. III. c. V. §. 10. quae omnia non in cambiis tantum, sed in indossamentis etiam locum inueniunt, ideoque expressio valutae in inductionibus, non solum in istis locis, vbi lex disertis verbis id praefinit, verum ibi quoque, vbi haec mentio valutae tantum quoad cambia ipsa praescripta est, habenda sit necessaria, inprimis etiam propterea, ne vera cessio, mandatum tantum esse, existimetur, quia in expressione valutae istis in locis indossamenti in procura et in giro differentia consistit, vti dictum §. 4. nihilo tamen secius in reliquis regionibus, quarum leges, ipsis in cambiis necessariam esse valutae enarrationem, negant, vti supra monstrauiimus, tuto ea in indossamenti omitti poterit. Quoad Saxoniam in hac quidem re nullum est dubium, quippe cum §. 15. App. O. P. R. eandem vim indossamento, in quo valuta expressa non est, et eo, in quo hoc factum, tribuat.

## §. VIII.


His igitur expositis addamus ipsas formulas indossamenti, et eas quidem, quas praescripsit Ord. Camb. Russica Cap. III. vor mich an die Ordre von Hen. Iwan Subrew,

*Adduntur  
quaedam in-  
dossamento-  
rum for-  
mulae.*

Kauf-



Kaufmann in Moskau, Valuta von demselben empfangen den 30. Jan. 1729. Artamon Gusew. deinde: für mich an Hrn. Bogdan Knigin, Kaufmann in Kaluga, oder Ordre, Valuta empfangen den 10. Febr. 1729. Iwan Subrem. porro; Inhalt dieses zu zahlen an den Hrn. Gerasim Sitow, Kaufmann in Orlow, den 21. Febr. 1729. Bogdan Knigin. Zipf. p. 135. et 167. has formulas subministrat. Inhalts dieses bezahle der Herr an Titium und Scium Valuta von Moebio Leipz. Michaelis Messe 1669. Sempronius. et: Zahlet für mich den Inhalt an Caium, soll gute Zahlung seyn, Leipz. Michaelis Messe 1669. Sempronius, quae posterior formula tantum mandati, siue in procura indossamenti vim haberet, in iis locis, vbi valutae fieri mentio debet. Alibi, vbi talis lex non est, indossamentum in procura secundum Siegelium all. §. 14. not. ita fere concipiendum esset: Inhalts dieses zahle der Herr vor mich an Titium, welchen bezollmächtiget, das Geld statt meiner zu erheben etc.



### C A P. I I I.

*De Iure et Obligatione Cessantis, siue cambium indossantis.*

#### §. I.

**I**n negotio cambiali, si de cambiis trassatis sermo sit, communiter quatuor personae concurrunt, scilicet remittens, trassans, acceptans et praesentans. Indossamentum autem, siue cambii proprii siue trassati, duos tantum

*Indossans quis sit. An indossario per instrum. fieri possit?*



tantum requirit personas, nempe indossantem seu cedentem, et indossatarium seu cessionarium. Ille cedens est, is praesentans, cui cambium solui debebat a traslato, siue in cambio proprio creditor, qui ius suum in indossatarium transferunt. Ad cessum debitorem siue traslatum in hoc negotio proprie non respicitur, quia, vt alias iure Romano etiam omnis cessio vel inuito debitore fieri potest, eius consensus ad cessionem perficiendam non est necessarius: nec ad remittentem et traslantem, quorum nihil interest, quis cambium, quod ille emit, hic vendidit, possideat. Etenim in indossamento nouus celebratur contractus, quod fit quoque inter posteriores cessionarios et cedentes. Primo igitur agamus de obligatione indossantis, sub quo nomine eum intelligimus, qui in alterum ius exigendi cambium secundum rigorem cambiale transfert, siue ab initio debitorem sibi habuerit obligatum, siue ipsi quoque hoc nomen ab alio fuerit cessum. Hic quaeritur, an semper ipse praesentans indossare debeat, an vero institores quoque litteras cambiales valide possint indossare, ita vt exinde dominus quoque teneatur. Haec quaestio decidenda est ex lege praepositionis, l. i. et 5. C. de inst. act. ita, vt, si institori facultas specialis a domino data sit indossandi cambia, vel saltem generaliter cambiale contractum ineundi, quia indossamentum species huius contractus est, dubium non sit, quin idem negotium expedire possit, ac ex eo dominus, si eius nomine contractum, obligetur, et, subscriptione recognita, ad solutionem possit compelli, cfr. Stryk. de caut. contract. Sect. III. c. V. §. 19. Sine eiusmodi speciali mandato illud fieri non poterit, cum actus, quo ad carcerem quoque obligamur, omnino maximi est praeciudicii. vid. O. C. Brunfv. art. 8.

D

§. II.



## §. II.

*Quae faci-  
enda ab  
indossans.*

Caueat vero indossans, ne ei cedat cambium, quocum contrahere non potest, ne deinde per hunc, aliquod damnum sentiat. vid. supra C. I. §. 6. Deinde etiam in indossamento ea observet, quae secundum regionis cuiusque mores ad formam eius pertinent, ne propter formam neglectam transatus acceptare denegat, indossatum igitur cambium cum protesto remittatur, et indossans propterea compellatur, ut damna exinde orta indossatario restituat. vid. cap. II. §. 6. seqq. De hoc autem quaestio oriri potest, an propter indossamenta, litterae intimatoriae, Auis Briefe, sint necessariae? Notissimum est, iure cambiali tales litteras quoad ipsa cambia omnino requiri, quibus transans transatum non solum certiozem reddit de cambio per eum soluendo, sed media quoque ei proponit, unde ipsi huius solutionis causa sit satisfaciendum, quorsum spectat clausula in cambiis obuia: laut Auiso, stelle es auf Rechnung, a Conto, quibus litteris non acceptis transati acceptationem plerumque denegare solent. Sed eiusmodi litterae denuo scribi non debent, cum sit indossamentum. Transatus enim iam ex transantis litteris scit, quod cambium aliquod a se solui debeat, et quem in modum transans ei solutam pecuniam restituere velit. Nullum igitur commodum possit prouenire ex aliis eiusmodi indossantis litteris, cum is etiam modum solutionis mutare nequeat.

## §. III.

*Indossans  
indossatario  
obligatus  
permanet.*

Quando cessio facta est, ius quidem cedentis, quod habet aduersus debitorem, in cessionarium transfertur, non tamen omnis obligatio cedentis tollitur. Cumque  
alias

alias in cessionibus iure Romano tantum veritas debiti praestetur, l. 4. D. de haer. vel act. vend. longe aliter se res habet in indossamentis. Indossans enim, qui cedit cambium, debitum non verum solum sed et bonum praestare debet. Nam omnes in cambio contrahentes obligantur, usque dum praesentanti satisfactum sit, quod ubique fero Ord. Camb. disponunt. O. C. Hamb. §. 32. und bleiben Ausgeber, Aceptant, und Indossanten, alle und jede in solidum bis zur völligen Richtigkeit, verschaffet. O. C. Lips. §. 20. bleiben auch so dann alle andere Indossanten, sowohl der Trasirer, als ein jeglicher Indossirer, nichts destoweniger bis zur endlichen Richtigkeit, in solidum verschaffet. O. C. Vratisl. art. 24. §. 2. inmaßen alle Indossanten, so wohl die Trasirer, als ein jeglicher Indossirer bis zur endlichen Richtigkeit in solidum, auch wegen Interesse, Schaden und Unkosten, verschaffet bleiben. Idem in aliis etiam inuenimus, quod fides et diligentia in commerciis adhibenda omnino requirit. Et tenetur quidem indossans indossatario, in casu quo huic solutio a traslato facta non est, non solum fortis causa, sed et propter usuras, expensas, et omnia damna, idque omne cum rigore in cambiis consueto ab eo exigi potest. vid. O. O. C. C. cit. quod apud nos quoque praecipit O. P. R. App. §. 14. Nicht weniger soll auch der Indossant, da der Wechselbrief nicht bezahlt würde, den Indossatarium des Capitals auch derer Zinsen und Unkosten halber nach Wechselrecht zu befriedigen, verbunden seyn. Patet exinde, indossantem non tanquam fideiussorem, sed principaliter obligari indossatario, nec illi exceptionem ordinis competere. Et haec obligatio transit quoque ad haeredes indossantis, vt tamen hi a rigore cambiali



liberentur plerisque in locis, vt in Saxoniam O. P. R. App. §. 12. vid. Siegel saepe cit. C. VI. §. 3. Obligatio ista indossantis vbiq̄e fere recepta est, et per eius protestationem non potest tolli. Attamen O. C. Franc. ad Moen. §. 28. indossanti permittit, sibi quodammodo prospicere his verbis: ohne mein Obligo oder Praeuiditz, quo casu actio contra indossantem locum non habebit.

## §. IV.

*An indossamentum  
reuocari  
queat?*

Quae proposita sunt de obligatione indossantis, pertinent tantum ad indossamentum in giro siue veram cessionem. Ad indossamentum in procura enim haec applicari nequeunt, quia in hoc indossatarius non suum, sed indossantis gerit negotium. In hac vero specie aliud obseruamus, scilicet, quod indossamentum reuocari possit. Reuocationi quidem in indossamentis in giro in regula locus non est, quia indossatarius fit cambii dominus, et nemini inuito ius suum auferri potest, vid. inter alias O. C. Gedan. §. 25. O. C. Brem. §. 28. O. C. Hamb. §. 35. attamen hoc quoque permittere videtur, modo possessori cambii aut tercio cuidam hoc non noceat, Ord. Camb. Norimb. cap. IV. §. 2. In indossamento vero in procura hoc, cum mandatum sua natura sit reuocabile, fieri omnimodo posse, non videtur dubium, O. C. Brem. et Hamb. cit. O. C. Vratisl. art. 19. §. 3. Hinc est, vt in nonnullis Ord. Camb. prohibita sit acceptanti solutio cambii indossati, antequam dies venit, quia si indossamentum mandatum tantum est, et hoc reuocaretur post factam iam solutionem, dubium aliquod, an solutio sit cum effectu liberationis, superesse, et liti causam dari possit. cit. O. C. Vratisl. Fluit ex his omnibus porro, quod



quod reuocatio iusto tempore, scilicet ante diem solutionis fieri debeat. Etenim cum dies venit, trassatus cum effectu plenariae liberationis soluit, nec ab eo, vt differat solutionem, postulari, nec propter vim vocis cambii ipse tut solutionem differre potest. Vid. O. C. Hamb. l. c.

C A P. IV.

*De Iure et Obligatione cessionarii sive  
iudofatarii.*

§. I.

**I**am conuertamus nos ad indoffatarium. Hic procurator in rem propriam, vt iure Romano quilibet cessionarius, nominari potest, et est is, in quem ius exigendi debitum cambiale legitime seu secundum formam in Ord. Camb. praescriptam, est translatum. Valet hoc de indoffamento in giro. Indoffatarius enim in procura mandatarus est, et secundum leges, quae datae sunt de mandati contractu, diiudicandus erit, vt multa de hoc verba facere superfluum iudicemus. Quod igitur ad indoffatarium, qui simul cessionarius est, attinet, curare is debet, ne cambium forte post terminum solutionis in eo expressum cedatur, vid. supra cap. II. §. 1. ne cedatur a persona, quae cambialis rigoris executioni non subest, vid. cap. I. §. 6. Nihil tamen metuendum est ei, si indoffatio fiat a Iudaeo, Equidem per Rec. Imp. de a. 1591. §. 78. 79. et Ord. Pol. d. a. 1577. Tit. 20. prohibita cessio nominum, quae fit a Iudaeo Christiano. Ex quo nonnulli affirmant, cambium

*Quis sit indoffatarius, et quae ab eo in iure indoffantis facienda.*



quoque Iudaeum Christiano cedere aut indossare non posse. Verum, praeterea, quod ista lex ad cambia forte extendi nequeat, quia horum alia est ratio, ac ceterorum nominum, ipsam istam quoque dispositionem non obseruari docent Berg. in Oec. Iur. L. III. cap. V. §. 4. Wernh. in obseru. Lib. IV. obs. 99. et alii. vid. Heinecc. Ius Camb. c. II. §. 9.

## §. II.

*Officium indossatarii  
uacatione debitoris  
cessat.*

Postquam igitur indossatum est cambium, indossatarius curat, ut pecunia in eo nominata ipsi soluatur. Oportet autem cambium praesentari, quantitas in eo expressa accipi, in casu autem si traslatus soluere nequit aut non vult, vel etiam non acceptat, fieri protestatio. De ipso actu praesentationis, de pecuniae exactione, et quomodo tempora obseruari oporteat, secundum diuersa cambiorum genera, prouti solutio vel statim vel post aliquod tempus, vel ex consuetudine loci (a vista, a dato, a viso) fieri debet, agendum a nobis non erit, siquidem in his omnibus fere nulla inter simplex et indossatum cambium differentia est. Cum vero cambium iam acceptatum indossari possit, ita ut alterum exemplar, quod prima nominatur, acceptetur, intereaque alterum, quod secunda dicunt, cedatur, vid. O. C. Lips. §. II. Brunsv. art. 43. solenni praesentatione indossati cambii tunc opus non erit, propterea quod remittens et traslans eum finem, in quem praesentatio requiritur, iam sunt consecuti. Vbi vero cambium praesentatione indiget, tempestiue ut haec fiat, necesse est. Secus si factum sit, traslatus acceptationem iure denegare potest. O. C. Lips. §. 12. Brunsv. art. 11. et 15. Ita quoque tempus solutio.





lutionis accurate obseruandum est, quia haec iusto tempore peti debet, vel, si hoc factum non sit, damnum, quod per istam moram datum, resarciendum. O. C. Lipf. l. c. Gedan. §. 21. Restat, vt de protestatione agamus, an necessaria sit, nec ne. Et possunt, si de indossato cambio sermo est, quatuor adesse casus. Aut enim cambium est proprium et indossatum mandati gratia, aut tratta mandati modo indossata, aut cambium proprium cessionis causa indossatum, aut tandem trassatum cessionario indossatum. Equidem quod attinet ad cambia trassata, si acceptatio vel solutio a trassato non fiat, indossatarium semper oportet protestari, siue in procura siue in giro indossatio sit facta. Omissa enim protestatione amittitur ius, quod indossans contra trassantem vel priorem indossantem habet. O. C. Lipf. §. 13. Hamb. §. 27. Brunsv. art. 38. Indossatarius igitur, quamvis tantum mandatarius sit, tamen, neglecta protestatione ad refundenda damna, imo, vt ipse sorrem soluat indossanti, tenetur. Hoc inuenimus in O. C. Lipf. §. 13. Und obgleich der Inhaber ein blosser Mandatarius wäre, soll dennoch die Unterlassung und Versäumnis der Protestation auf seine Gefahr geschehen, und er denjenigen, welcher ihm den Wechselbrief gesandt, wosfern zu gebührender Zeit nicht protestiret worden, für die Bezahlung haften. Eadem sunt in O. C. Brunsv. art. 38. Neque excipitur casus, si negotium inter principalem et institorem geratur. Nam hoc quoque ipso casu instititoris indossatarii officium est, vt protestetur. O. C. Lipf. §. 18. Possunt enim in tali negotio aliae interuenire personae, quorum omnino interest, vt protestum eleuetur. Verum intuitu cambii proprii magis dubitari potest, an protestatio necessaria sit. Hoc enim in regula, cum etiam  
prae-



praeterito die solutioni definito redimi debeat, O. C. Lipf. §. II. nec praesentatione nec acceptatione indiget, quod pleraequè disponunt Ord. Camb. vt Lipf. §. 4. et 32. Brem. §. 8. Vratisl. art. 31. §. 1. 2. Vienn. art. 3. Brunfu. art. 23. Gedan. §. 5. Normib. C. II. §. 5. et all. Aliae tamen Ord. Camb. in hoc cambiorum genere desiderant praesentationem et acceptationem, vt Hamb. §. 10. August. C. 1. §. 13. cact. quas, si alterutrius tantum mentionem,] faciunt, vtrumque tamen intelligere, exinde patet, quia acceptatio praesentationem supponit, et haec absque illa inutilis esset. Si igitur leges acceptationem proprii cambii praecipunt, dubium non est, quin praesentans acceptatione aut solutione denegata, protestari debeat, quia alias acceptatio sine ratione postularetur. Sin acceptatio et praesentatio ex legum dispositione necessaria non est, protestatio quoque, per regulam, cessante causa, cessat effectus, omitti potest, quam expressis verbis pro inutili habet O. C. Vienn. l. c. Neque distinguendum erit, vtrum cambium proprium indossatum sit, nec ne, quod ex verbis inferimus Ord. Camb. *er mag gleich noch in des Creditors Händen, in der ersten Hand, oder andern transportiret seyn.* His tamen non obstantibus, in legibus cambialibus praescriptum est, vt cambia propria, si cessa sint, praesentans protestetur, O. C. Lipf. Vienn. Vrat. ll. cc. et aliae, ex quo simul acceptatio et solennis praesentatio, quamuis in legibus nihil de ea dictum sit, sequitur. Eadem in Saxonia praescriptum O. P. R. App. §. 14. *nicht weniger soll auch der Indossant, da der Wechselbrief nicht bezahlet wird, den Indossatarium, wenn dieser die Bezahlung zur Verfallzeit gesucht, auch deswegen sogleich gebührend protestiren lassen, und solches ihm mit*

mit der Post, oder sonst längstens binnen 8. Tagen notificiret,  
des Capitals, derer Zinsen und Unkosten halber nach Wech-  
selrecht zu befriedigen verbunden seyn. Haec autem prote-  
statio eum tantum in finem est necessaria, vt indossatarius  
sibi ius suum contra indossantem, qui, vt supra deduximus,  
ab obligatione non liberatur, conseruet. Ex quo apparet,  
quod si actionem tantum contra debitorem, qui cambium  
proprium scripsit, persequi velit, opus non sit protestatio-  
ne, vid. O. C. Vienn. l. c. Ista omnia de indossamento quo-  
que cambii proprii in procura accipienda non sunt, pro-  
pterea quod protestatio nullum haberet effectum, sicuti et-  
iam Ord. Camb. supra citatae clare tantum de cessione ver-  
ba faciunt. Etenim debitor obligatus manet, etiamsi die-  
bus solutionis in cambio expressus diu praeteriisset indos-  
satarius, si illum vrsit, vt soluat, officio suo satisfecit,  
et creditor per protestum nihil amplius consequi potest,  
neque illi regressus competit contra alium quendam. Er-  
go, cum mandatarius et mandans pro vna persona merito  
habeantur, et hinc eiusmodi indossamentum idem fit, ac  
si cambium esset adhuc in prima manu, expensae plane  
superfluae essent, quae in protestationem erogarentur.  
Nihilo tamen secius indossatarius in procura quoque oport-  
tebit protestari tunc, cum indossamentum non est primum,  
sed vterius, et ita quidem, vt prius sit indossamentum  
in giro. Hic enim cum indossans secundus ius habeat  
contra indossantem primum siue creditorem, indossatarius  
secundus, quamuis mandatarius tantum sit, debeat, non  
quidem sui ipsius gratia, in fauorem tamen indossantis  
tanquam sui mandantis, vt eius ius conseruetur, protestari,  
alias enim actione mandati indossanti tenebitur. De for-  
ma et differentia protestationis nihil addendum est, ea enim  
communia habent cambium indossatum et non indossatum.

E

§. III.





*De iure in-  
dosfararii, si  
solutio a de-  
bitore iusto  
tempore fa-  
cta non sit.*

Per protestationem hoc intendit protestans, ut ius suum sibi conferuet. Habet autem, siue cambium acceptatum sit, siue non, indosfararius ius ex protestatione contra indosfantem, vel si plures indosfantes, contra omnes indosfantes, qui secundum deducta in C. III. §. 3. obligati manent, et contra trassantem, siue in cambio proprio debitorem, in tratta autem ex acceptatione etiam contra trassatum. Hinc potest tam contra trassatum, ut acceptatum cambium soluat, quam contra indosfantes et trassantem, ut summam expressam in cambio vel non acceptato vel ab acceptante non expedito soluant, et damna restituant, iure in cambiis recepto agere, modo nullam in praesentatione et reliquis formalibus culpam commiserit. Si agit contra acceptantem, nihilominus ius contra reliquos debitores saluum manet. O. C. Lips. §. 20. Hamb. §. 32. Imo potest secundum quasdam Ord. Camb. consilium mutare, hunc dimittere, et petere indosfantes, et iterum ab his desistere, et redire ad acceptantem. O. C. Lips. l. c. Alicubi ne ordo quidem inter indosfantes seruandus est, sed potest sibi indosfararius vnum ex his eligere, a quo sibi primum satisfactum iri credit. O. C. Hamb. l. c. Boruss. art. 64. rell. Alibi autem hoc prohibitum est, et secundum ordinem cedentium actiones instituendae sunt, primo contra proximum indosfantem, deinde contra sequentem, qui proximo indosfauit cambium, tum contra eum, cui ab hoc cambium cedebatur, et sic deinceps, vltimo contra trassantem. O. C. Vratisl. art. 24. §. 1. 2. Vienn. art. 25. Quod obseruandum quoque est in Saxonia per App. O. P. R. §. 14. Der Indosfararius auch sich diesfalls an den letzten Indosfirer, von



welchem er den Wechselbrief bekommen, zu halten, und, wenn er von demselben keine Befriedigung erlanget, an den nächst vorhergehenden, und also ordentlich bis zu dem Ausgeber zurück zu gehen, und hierunter die Ordnung nicht zu überschreiten. Add. O. C. Lips. §. 19. Excipit vero App. O. P. R. l. c. O. C. Lips. Vratisl. Vienn. ll. cc. si quis ex indossantibus manifesto soluendo non sit, et O. C. Lips. Vrat. Vienn. ll. cc. et all. si indossatarii mandatum hoc velit, quibus casibus hic vel ille indossans in ordine actionum potest praeteriri. Eundem ordinem feruari vult O. C. Franc. ad M. §. 28. 29. eo casu, si quis obligatos omnes retinere vult, cum, si quis hoc nolit, praeteritionem vnius vel alterius permittat.



## C A P. V.

*De iure et obligatione debitoris cessi.*

## §. I.

**I**n indossamento nomen ceditur, hinc et quodammodo eius iura et obligationes consideranda sunt, qui debitor cessus est, trasfati scilicet, si tratta cessa sit, vel eius qui cambium subscripsit, si cambium proprium sit indossatum. Debitoris cambialis obligatio est, ut acceptet et soluat, ius, vt exceptiones, si talibus instructus est, opponat. De acceptatione in genere hic agendum non est, quia eadem de indossamento valent, quae de cambio ipso, et de acceptatione fuisse a multis actum est. Vix quoque monendi sumus, acceptatione vltiore non opus esse, si cambium iam acceptatum cedatur vel indossetur, quod fieri potest. vid. cap. IV. §. 2. Nonnunquam tamen hic debitor solutionem vel denegare, vel saltem cautionem exigere, vel

*Debitor tenetur, ut indossatario soluat.*



loco solutionis pecuniam debitam potest deponere, vid. supra Cap. II. §. 2. et hoc posterius, quamvis creditor, quod alias in depositione fieri debet, non citatus sit, O. C. Lipf. §. 12. 16. in eo casu inprimis, si praesentans, vel qui solutionem postulat, praesens non sit. Non vero opus esse, ut ante diem solutionis de facto indossamento certior reddatur, supra C. III. dictum est, ideo propterea solutionem indossatario denegare nequit. Alia est quaestio, an indossatario solvere teneatur, si verba *Ordre* vel *Commiss* in ipso cambio non inveniuntur. Putauerunt nonnulli, absque his verbis facultatem indossandi cambium nemini competere, quapropter Stryk. saepe all. loco §. 23. ut ista verba cambio inferantur, cautelae loco commendat. Verum enim vero, nisi Ord. Camb. id expressis velit verbis, quemadmodum factum esse existimamus in O. C. Franc. ad M. §. 42. ista verba, *Ordre*, *Commiss*, non videntur simpliciter esse necessaria. conf. Zipf. l. c. p. 135. Quin potius per varias leges cambiales permittitur, ut indossamentum fieri possit, etiamsi haec verba in litteris deficiant cambialibus, eoque iure in Saxonia utimur sec. App. O. P. R. §. 15. Quod autem in hunc modum statutum est ingenere de indossamentis, illud non de primo solum indossamento, sed de ulterioribus etiam accipiendum erit, siquidem nulla ratio est, ex qua differentia elici possit. Quapropter quamvis in cambio, quamvis in indossamento verba *Ordre*, *Commiss*, scripta non sint, trassatus tamen, si reliqua recte se habent, ad solutionem compelletur. Alia vero secundum quasdam Ord. Camb. dicenda sunt eo de casu, quo cambium a possessoris mandatario exigendum est. (wenn der Wechsel in Ordre gestellet, oder indossiret.) Hic enim trassatus non sol-

lv  
 ver,
   
 8

vet, nisi mandatarius constitutus sit. Potest tamen praesentans negotium sibi ipsi mandare. (an sich selbst indossiren) vid. O. C. Hamb. §. 14.

## §. II.

Videamus tandem, an debitor indossatario possit exceptiones *Exceptiones debitor quasnam opponere possit.* opponere, quibus se a solutione liberet. Notissimum iam est, exceptiones contra cambium in genere locum non habere, nisi in continenti liquidas. Porro constat ex iure Romano, easdem exceptiones, quae obstabant cedenti, cessionario quoque opponi posse, siquidem hic tanquam procurator pro una persona cum cedente habendus, et plus iuris, quam ipse habet, transferre nequit. Haec vero legum Romanarum de cessionibus dispositio non valet in indossato cambio. Si igitur debitor cessus pacti de non petendo, solutionis, aliisque eiusmodi exceptionibus a petitione indossatarii rueri se vult, easque absque ambagibus probet, videndum tamen est, utrum instrumentum, quo solutionis, pacti de non petendo reliquorumque confessio continetur, ab indossante subscriptum sit, an ab indossatario. Si posterior solutionem confessus sit, aut de non petendo pactus sit, et sic porro, absque dubio cum effectu opponitur exceptio. Sin prior, indossans scilicet, distinguendum erit, utrum exceptio ex ipsa illa schedula, in qua cambium vel indossamentum scriptum est, pateat, videlicet, si aliquis ex indossantibus in illa ipsa charta scripserit, quod pars debiti soluta sit, vel aliud eiusmodi, an exceptio ex peculiari quodam instrumento probetur. In illo casu poterit vii exceptione cessus, quia, qui cambiales literas accepit, ea videre potuit, quae ipsis inscripta sunt, et si forsitan pars soluta sit, tota nihilominus summa ei cessa, ipse, quod talem cessionem acceptauerit, culpa est. In hoc vero casu, si separata schedula ab indossatario non scripta, probandae exceptionis causa, producitur, indossatario talis exceptio non nocebit. Hic enim scire non potuit, quid indossans et debitor cessus inter se




se egerint, fauor vero commerciorum, et summa, quae fundamentum est cambiorum, fides non patitur, vt indoffatarius, qui sine culpa est, a debitore, qui tamen in culpa est, cum non curauit, vt debitum iusto modo deleatur, cambium reddatur, aut ei, quae necessaria sunt, inscribantur. remittatur ad indoffantem, qui forsitan interea bonis cessit, vel vt dolus et collusio quaedam debitoris et creditoris indoffatario noceat. Exceptiones igitur, quae veniunt ex facto indoffantis, indoffatario nequeunt opponi, quod voluit O. C. Vienn, art. 9. Gedan. § 16. Bresl. Hand. Ger. Ordn. § 16. Quoad Saxoniam quoque hoc dubium non est, cum O. P. R. App. §. 15. praecipitur: also ist übriges, daß wider einen indoffirten Wechselbrief weder die Exceptio compensationis noch solutionis, wenn nicht das bezahlte darauf abgeschrieben, ex persona indoffantis dem Indoffatario opponiret werden möge, bereits in Unserm ao. 1599. deswegen publicirten Mandat versehen, und wollen Wir, daß es in Zukunft mit der Exceptione pacti de non petendo, und allen andern, so ex facto des Indoffanten herrühren, gleichergestalt gehalten werde. Sed hic tamen excipiuntur cambia super debitis ex ludis proueni-entibus scripta, non solum in Saxonia O. P. R. App. §. cir. sed et alibi, v. g. in O. C. Boruff. art. II. per quam ordinationem iuramenti delatio et alia media probandi ei, qui hanc ob causam dedit cambium, permittitur. Apud nos autem si liquida non sit haec vel alia magni momenti exceptio, licet debitori, vt iudicialiter debitum deponat, siquidem indoffatarius, qui, cum ei exceptiones istae notae sint, nihilominus agit, dolum poena dupli iure cambii luit. O. P. R. App. l. c. Mand. wegen der Hazard und anderer hohen Spielse d. d. 20. Dec. 1766. §. 7.






Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228.32.35





9812

No: 907  
8

1990 7/8

DE  
CESSIONE  
SIVE

INDOSSAMENTO CAMBIORVM



PRAESIDE  
D. ERNESTO GOTTF. CHRISTIANO  
K L V G E L  
IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSATIAE  
INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
WITTENB. ASSESSORE

DIE XXXI. DECEMBR. MDCCCLXX.

PVBlice DISPVTABIT

AVCTOR

M. CHRISTIANVS SALOMO ZIEGERVS  
DRÖYSIGENSIS MISNICVS



WITTENBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.

